



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Petit Societatem, n. 34.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1581. breuitas: : morti denique proximus, licetoris sanguinolentæ à *Campiani* carnificina manui osculum impressit, & *Iesu* Saluatoris nomen pientissimè repetens, beatam animam reddidit Creatori.

Brianti studia, & Constantia.

Concerta Ecclesie Anglicanæ.

Concerta Ecclesie Anglicanæ.

XXXIII. *Alexander Briantus* Somersétanus, post studia inferiora domini decursa, Philosophicis Oxonij, in Aula, quam à Cerui signo, Ceruinam vocant, operam dedit, *Richardo Holibao* co temporis Professore, qui cum discipulos ad fidem Catholicam, quam intus colebat, adhortaretur, hunc Rheinos præmisit, vbi ceteris imbutus, in patriam reuertit anno eius sæculi septuagesimo nono. Vtebatur deinde *Personio* familiarissimè, vt qui *Personij* Patrem ciuem suum in Ecclesiæ gremium reposerat. Captus in Aprili anni octogesimi primi, in Computorium primum traditus est fame cruciandus: Nam commentariensi in mandatis datum est, nihil vt ei cibi aut potus præberetur: iniiceret verò manus in quemcunq; qui ad eum salutandum alicunde accederet: Dierum itaque plurium inediam passus, mucidi tandem panis frustulum & pauculum casei conëcutus, sitim aquâ de tecto decedente, vel acida neglectaque ceruisia tolerabat. Nimirum dira crudelitatis administris id erat propositum, vt non mentis tantum robur, si quo modo poslent, infringerent, sed oris vultusque speciem corrumperent, quam iuuenis viginti octo annorum habebat perelegantem, indicem innocentis animi, atque ad mansuetudinem conciliandamque hilaritate gratiam conformatam. Cum verò frustra id fieri perentissent, motum ad arcem Londinensem, iam non fame solum ac siti, sed adactis acubus sub manuum pedumque vngibus excarnificant: Tum quoniam nihil hoc tormenti genere commotior, animo in Cælum suspenso, alacri vultu, Psalmum quinquagesimum pronuntiarat, neque quidquam de se fateretur, quicum, aut cuius sumptu vixisset? cuius excepisset confessiones? apud quem sacrosanctum sacrificium celebrasset? Aut de *Personio* (cui notum conieciabant ex loco in quo captus) vbi ageret? vbi prælum? vbi libri? qui venditi? qui vendendi superessent? Extensum in equuleo tantâ contentione conuellerunt, vt luxatis artuum compagibus omnibus, sine sensu, sine motu, mortuus iaceret. Sequenti tamen die rursus eidem admotum cruciamento atrocius lacerauit: Quo de præclaro facinore Nortonus quæstioni præfectus, cum se iactaret in aula, aiebat, pede à se longiorem factum esse *Briantum* quam cum Deus fecisset. Deposatum deinde de equuleo, & vix hærentem nervis, demissum in foueam, quindecim diebus solitariam, sine lumine, in nuda humo reliquerunt; stupentibus ipsis tortoribus tantam inter acerbissimos cruciatus constantiam, tantam animi vultusque serenitatem; quanquam id etiam demonis artibus quam virtuti diuinitus acceptæ tribuere maluerit, antiquo Ethnicorum more.

Brianti literæ ad pp. societatis.

XXXIV. At vnde illa omnis alacritas atque robur profluxerit ipsum præstat audire narrantem ijs in literis quas ad Patres Societatis dedit è carcere paulò ante mortem. Nam posteaquam explicuisset quibus tenemur omnes vinculis ad Deum quærendum, illique nos offerendum in holocaustum; inueniri autem Deum vbi duo vel tres congregati essent in eius nomine; atque in huiusmodi congre-

congregationibus viam sterna ad caelum planam, securam, munitam salutaribus legibus, Sanctorum vestigis tritam, in qua stultus errare non possit; omnia vero disponi, tanquam in sede sapientiae, in numero, & pondere, & mensura; vigere etiam suavissimam caelestemque, ut inter fratres, correptionem, motuum animi inordinatorum moderationem, & Charitatis praecleara incitamenta, quae nulla oratione laudari satis queant." His, inquit, de causis duo sunt anni, ex quo sumissimè statui hoc genus vitae (si Deo videretur) amplecti; communicatoque consilio cum viro prudente & docto, confessorio meo, vehementius sum incitatus, ac frequenter hoc animi mei institutum nouo decreto corroboravi. Distuli id quidem hactenus, sperans non inutilem operam praestare me Deo in hac messe animarum: Nunc vero illo disponente vincetus, etiam addito voto firmavi; neque id temerè & inconsulto, sed cum Dei vnus obsequium haberem praeculis, & quanta futurum id esset cum maiori securitate mea, & ampliori cum victoria inimicorum spiritualium. Quod votum Deo fuisse acceptum nulla ratione dubitare possum: Ita enim accidit. Die illo in quo primum fui quaestioni admouendus, cum inter orandum me meaque omnia Deo commendarem & Beatissimae Virgini, cuius Rosarium recitabam, delibutum me sensi caelesti quadam spiritus dulcedine, praesertim dum suavissima *Iesu* & *Mariae* nomina pronuntiarem; laeto eram & prompto animo ad ea quae expectabam subeunda tormenta: Perseueranti venit in mentem propositi mei de ineunda Societate, simulque cogitatio de illo firmando proposito voti adiunctione: finita praecce, reuoluens id quod animo inter orandum occurrisset, & quae potui diligentiam vniuersa considerans, vovi in haec verba. "Quandocumque Deo placuerit me libertate donare (si id ei vnquam placebit) tum ego intra annum me tradam integrè in manus Patrum Societatis *Iesu*, atque si me, Deo inspirante, admiserint, libenter magnaque cum laetitia omnem voluntatem meam diuino obsequio perpetuo addicam.) Fuit id votum magno mihi solatio in maximis meis angustijs & tribulationibus, eoque maiori cum fiducia & spe obtinendae constantiae & patientiae accessi ad Thronum Diuinae Majestatis, Beatissimae Virginitis & Sanctorum omnium auxilio munitus: Ostenditque Deus confectum (meo quidem iudicio) hoc gratum fuisse; nam infinita sua bonitate adfuit mihi in omnibus cruciamentis ac doloribus, corroborans cum summo opere egerem, & liberans me à labijs iniquis, & à lingua dolosa, atque à Leonibus rugientibus preparatis ad eam. Etenim in vltima contorsione membrorum, cum maxime sauirent inimici, ingentique violentia distenderentur brachia & crura (non mira fortasse, ac certe vera Deo teste narro) nihil fere demum sensi doloris, sed reerari potius videbar ab ea tormentorum acerbitate quam ante subieram; Animo etiam quieto, & tranquillo: Quod cum viderent Commissarii, discedentes iusserunt in crastinum eidem me seruari cruciamento: Audui, &

Et votum

Et voti via

O

quidem